



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 101. Cardinalis Ximenii administratio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

cunctis negotiis ad Ximenii sententiam Sæcul. XVI.
 decisis, ille simul cum Cardinale literis A.C. 1516.
 desuper confectis chirographum suum ap-
 poneret, quamvis ceteroquin diversa
 sentiret.

§. CI.

Cardinalis Ximenii administratio.

Interea Archidux Bruxellis Cardinalem Gomes. in
 literis suis honorabat, atque procura- vita Xim. l. 6.
 tionis diploma confici jubebat, quo eum Vid. Ximenii
 tantis venerationis, ac fiduciæ testifica- vitam a Fle-
 tionibus cumulabat, ut majoribus Prin- schier &
 cipum nullus vasallos suos dignari posset, Marfolier
 ipsumque omnium suarum ditionum us- descriptam.
 que ad adventus sui diem Rectorem de-
 claravit, eidemque Lovaniensem Deca-
 num Regiminis socium adjunxit. Quam-
 primum Ximenius muneris sui confirma-
 tionem acceperat, concessam sibi aucto-
 ritatem extollere unice intentus, adeo
 superbe sese efferebat, ut cuncti Proce-
 res in publicas erumperent querelas, ce-
 dere tamen cogebantur, donec indigna-
 tionem suam exercendi opportunam oc-
 casionem nanciscerentur. Compescuit pri-
 mo Ximenius Petri Porto-Carero arrogan-
 tiam, qui sub obtentu diplomatis a Leone
 X. Papa impetrati Magistratum Ordinis S.
 Jacobi sibi conferri postulabat, cum ta-
 men tria illa Magisteria Coronæ Castellanæ

Sæcul. XVI unita Archiduci jam antea successionis
A.C. 1516. jure concessa fuissent. Præterea supremi Consilii Ministros, Aulicosque in officium redegit, & Proceres populum opprimentes omni legum severitate plectendos statuit.

Cum quadam die duos Ferdinandi Principis clientes, quorum fides ipsi suspecta erat, de aula exire jussisset, nonnulli hujus Principis Ministri petulantius ex Cardinale sciscitabantur; unde ipsi tanta esset auctoritatis amplitudo? Ipse quamdam armatorum manum, quæ pro more excubias in ejus Palatio agebat, illis demonstrans, *horum robore sultus*, inquit, *Regis mei jussa exequendi potestatem exerceo.* His dictis funem Ordinis S. Francisci manu sua versans subjunxit; *hoc solo superbos Regis subditos in officium redigam.* Eodem tempore, decem aut duodecim belli tormenta, quæ a tergo Palatii sui locata erant, explodi jussit, his verbis responsum suum concludens, *Hæc est ultima ratio Regis*, quæ tamen agendi ratio, cum illam exequi æquitas dissuaderet, minus ab eo enunciari debuisset (*).

§. CII.

(*) Cui perspecta est Ximenii Sanctitas atque humilitas tot exemplis comprobata, ejusmodi fabulas mere ex invidia conflatas esse, facile cognoscet.